

19 XIX

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE

SPECIFICA QVO RVNDAM REMEDIORVM EFFICACIA

QVAM

FAVENTE NVMINE DIVINO
PRAESIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO

PRO

DOCTORIS GRADV RITE CONSEQVENDO

Ad d. Aprilis A. R. S. MDCC XXVII.
PVBLICÆ DISQVSTITIONI EXPONET

GEORGIVS FRIDERICVS BAVER.

BREGA SILRESIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

AC PRUDENTISSIMIS

18

18

277

Dissertatio in vacariis medicis
RUNDVAN RHEDDORVM
RHEDICIA
FAVNTE NVMNE DIVINIS
PRAESIDE
DN. FRIDERICO HEMANO
MAGISTER MEDICIS SENIOR ET MAG. DECANO
DOCTORIS GRADA
RITUS CONIUGANDI
MAY. MARCH. APRIL. MAY. JUNE. JULY.
TARICAE MAGISTRALIONE EXACTA
GEORGAS FRIDERICAS BVAR
BRUNNEN

Typ. IO. CHRISTIANI HILLIGERI AGG. TADDEI
HABET MAGISTERICAC
TYP. IO. CHRISTIANI HILLIGERI AGG. TADDEI

VIRIS

MAXIME STRENVIS PRAENOBI LISSIMIS
PLISSIMIS CONSULTISSIMIS PRÆSTANTISSIMIS OMNIQ
CONSULARI AC SENATORIA DIGNITATE
CONSPICVIS

MOECENATIBVS AC PATRONIS SVIS
GRATIOSISSIMIS

DN. FRANZIO LEOPOLD
WEISSENBECKIO,
CONSULI SPECTATISSIMO

DN. FERDINANDO LEOPOLD
LIEDLINGERO,

DN. IOH. GEORG. SCHNEIDER

DN. JOH. GEORGIO NITSCHI

DN. AVGVSTINO FEHNIC

DN. JOACHIMO PIHLIO

SENATORIBVS GRAVISSIMIS
AC PRUDENTISSIMIS

VIRI CLARISSIMI

MAXIMEQVE STRENUI

PATRIAS CONSERVATORIBVS TERRA VICTORIBVS OMNIS
CONSERVATORIBVS OC SITATORIA DIGNITATE
CONSILIVI CONSILIVI

MOCENIATIBVS AC PATRONVS SAS

DN. FRANCIO LEOPOLD
WESENBECKIO.

CONSERVATORIBVS OC

DN. FERDINANDO LEOPOLD
LEIDLINGERO

DN. JOH GEORG SCHNEIDER
Uamvis nullum non Tempus Observantiae Vobis, Patroni omni Honore majores testandæ Argumentis, opportunum esse debeat, placuit tamen illud maxime arripuisse, quo, Licet



VC PRADENTISSIMIS

cet exiguo & minus, prout par esset, exornato, tali munusculo, venerari Vos mihi datum est. Tanta enim non Patriæ folum communis exhibiti amoris Testimonia prostant, ut Laudibus ea celebrare non parum Temporis atque laboris insumere deceat, sed eorum in me etiam collatorum beneficiorum is lane accrevit Cumulus, ut quo me nunc explicare possim haud sciam. Quocirca insigni vestræ in me Benevolentia satis largiter præstitæ magnitudine nutritus, has etiam laborum academicorum Primitias in gratiæ mentis meæ Telleram, Vestris in primis Nominibus jure meritoque dicatas habere volui. Neque me fugit, gratiam Vobis vix parere his posse aut jucunditatem, Verum cum nulla melior obtingere potuisset occasio, qua Fausta quævis ac Prospera Vobis Vestrisque Familiis apprecari, simulque totum Vobis me denuo tradere, neque non gratiæ Vestræ amplexibus ulterius me commenda-

re

re liceret, spero fore ut minime Conamina
hæcce dedignemini. Hisce impetratis, nil
amplius restabit, quam ut tali sub Patrocinio
Vestrorum, quæ rogo, Mandatorum me
præbeam

**MÆCENATES AC PATRONI
GRATIOSISSIMI**

observantissimum

G. F. Bauer.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
SPECIFICA QVORVM DAM RE-
MEDIORVM EFFICACIA

S. I.



Almarium utique medentis in eo
versatur officium, ut cognita pro-
be & bene perspecta ægrotantis
natura exploratisque morbi ac
symptomatum caufis, ad eas remo-
vendas efficacia & exploratæ vir-
tutis remedia debito tempore,
mensura & ordine opponere sci-
at. Ad hoc autem ex voto perficiendum nihil æque
necessarium ac utile, quam singulorum, quibus uten-
dum est, medicamentorum exquisite noſte vires, facul-
tates & peculiares operationes atque effectus, quo cuni-
ratione & certitudine morbificas causas corrigere, op-
pugnare, vincere & ex corpore çeu noxias expellere

A 2

pos-

possit in auxilium vocatus, eo quod remedia contraria causis esse debent, & secundum canonem practicam, contraria contrariis curantur. Et profecto in eo potissimum artis nostrae salutaris ratio, incrementum atque dignitas consistit, ut pro tam diversa naturarum, morborum, causarum morbificarum, nationum quoque & vitæ generis conditione, remediorum vires, quid possint & valeant, longe, assidua & attenta observatione exquise cegnatum habeat artifex.

§. II.

At vero si dicere licet quod res est, perpauci sunt ex Medicis, qui veras virtutes medicamentorum, quæ tamen medentis manus & instrumenta sunt, quibus auxiliari debet, cognitas habent, ut certe non mirandum, quod tam parum solidi in sanandis corporis humani passionibus præstare possint, & quod in iudicando etiam de morborum eventibus tam crebro fallantur aliosque fallant. Testantur hanc plurimorum ignorantiam propudiosæ dissensiones, controversiæ sœpe ad rixas usque de certo medicamenti hoc vel illo in morbo effectu & efficacia, inter Medicos etiam nostri seculi adhuc passim vigentes. Exempla sunt in promtu, Chinæ corticem in curandis intermittentibus ad cœlum usque quidam extollunt, alii damnosum ac tantum non infame censem remedium. Ex marte præparata in affectu hypochondriaco, cachexia, hydrope, plures mirificæ efficaciæ præsidia iudicant, cum contra alkii hisce in affectibus ea damnent penitusque reiiciant. Emeticis, opiatis in praxi non carere ullum posse Medicum multi affirmant, nonnulli autem cane peius & angue vitanda esse pronunciant. Spiritus volatiles oleosi, familia volatilia, ante aliquot lustra a *Sylvio*, *Bontekoe* & *Batavis* plurimis ad præservandas & curandas chronicas

cas

cas passiones deprehendata & ubi vis magno in pretio habita, a pluribus nostro tempore, ceu valde intuta, censentur. Quot sunt qui venæctionem ex toto, vel etiam in hoc & illo morbo, plane repudiant, quibusdam contra in quavis ægritudine eam admittentibus & commendantibus. Camphoræ internus usus a pluribus Medicis, etiam in regionibus præcalidis degentibus, ut a Rivierio in Gallia, in valentibus morbis, petechialibus febris atque malignis morbis, phrenitide, deliriis ipsaque mania plurimum commendatur, a qua tamen vivissim alii, ceu medicamenta valde noxio, commovenite & sanguinem exagitante, ex toto abstinendum esse in morbis curandis præcipiunt.

§. III.

Nimis longum foret plura in confirmationem adducere exempla ignorantiae, quam insuper apertius arguit immensa remediorum Galenicorum & chymicorum ex omnibus naturæ regnis, simplicium & compositorum, moles atque farrago, de quibus miræ virtutes in libris botanicis, pharmaceuticis & chymicis, veritati atque experientia nunquam tamen respondentes, celebrantur & decantantur. Neque tamen hoc mirandum, quum paucis ob supinum philosophiae experimentalis in physicis & chymicis scientiam, neglectum, sit concessum, ut secundum Philosophorum loquendi modum, a priori remediorum principia, elementa atque ingredientia, a quibus tanquam fontibus verae & speciales eorum operationes atque diversi pro corporum & morborum varietate effectus dependent apteque derivari possunt, norint atque intelligent, ea que propter unum nimum tribuant, alteri nimum derogent, prout speculationis, empiriae aut præiudicij fert impetus. Pudet revera & piget dicere, quæ & quanta

A 3

com-

commenta de fontium salutiferorum, calidorum & frigidorum, principiis & elementis, in veterum non minus quam recentiorum scriptis allegentur, quum nulla fere eorum, quæ revera comprehendunt, mentio fiat. An non ad unum fere omes acidulas acido sulphureo spiritu, & vitriolico sale imbutas esse contendunt, & hac de causa plurimis ceu noxias dissident, quum tamen effervescent cum acidis, & potius alcali terreum & salinum recondant? De virtute horum fontium, inque primis thermarum Carolinarum, satis valide purgante, quas non inanes tricas & absonas opiniones, quasi arsenico imbutæ essent, in medium non insimi nominis viri produxerunt?

§. IV.

Neque etiam exiguum Medicorum inscritæ in cognoscendis remediorum virtutibus documentum illud est, quod composita pretiosa, etiam exotica, itemque chymica, domesticis, simplicibus, vernaculis & quæ facile comparari possunt prætulerint; cum tamen in hisce longe maior, longe præsentior ad medendum recondita sit virtus. Nam quicunque per longam & exquisitam observationem, vires aquæ simplicis, tam quoad usum internum, quam externum, in balneis & pediluviis, aceti vini, salis, nitri, salis alcalini, pinguedinis animantium, sulphuris vivi, limaturæ martis, pulveris concharum, testarum ovi, cancrorum, lactis, præseritam asinini eiusque seri & aquæ calcis vivæ cognitas atque perspectas habet, is profecto longe aliter sentiet de pretiosis istis arcanis, panaceis chymicis & pharmaceuticis; quod nempe non tantum sint minoris efficaciæ, verum etiam infida & valde insecura.

§. V.

Inter causas vero huius pudorensruditatis, præter

ter allatam philosophiae experimentalis inscitiam, quam maxime connumerandum, quod aucto Medicorum & medicamentorum numero, & variis exortis sectis, Methodicorum, Galenicorum, Chymicorum, Cartesianorum & multarum adhuc aliarum particularium, dum quisque tuo doctori & Professori cœco firmiter adhæsit applausu, medentes magis opinionibus, dissensionibus & præiudiciis vacaverint, quam observationibus accurrioribus effectuum a remedii in singulis morbis, diversis corporibus, imo regionibus, per integras morborum historias & casus consignatos colligendis, operam impenderint. Quo utique effectum est, ut quisque pro sua theoria in pathologicis, sœpe ob ignorantiam penitioris scientiæ physice, chymicæ & anatomicæ, falsas, mirum remotas & steriles plane morborum causas & vires remediorum finixerit, & ad eorum dum praxin perperam, licet non semper infelicem, adornaverit.

§. VI.

Neque minus ad inducendam artis salutaris cultoribus caliginem, plurimum omnino confert, quod multi frivolo scribendi pruritu exciti, vel iuvenes, experientia clinica & observationibus prorsus destituti, intempestive & præmature libros practicos conscribant, & pro ea quam didicerunt theoria iisque quibus detinentur præiudiciis, methodum in genere morbis medendi, varia medicamentorum composita variasque formulas indistincte commendent, quæ tamen sagacioribus & ipso usu longius exercitatis relinquenda essent. Etenim omnes qui hæc speculationibus non factis subnixa practica præcepta sequuntur promiscue, mirum distrahitur, & effectum raro respondere methodo videntes, quid demum agendum nesciunt, animo fluctuant.

ctuant, nec unquam ad veram & rationalem experientiam effectuumque remediiorum cognitionem pervenient. Quæ quum ita sint, ut revera sunt, utilissimus profecto erit labor, veras & longo multiplici usu comprobatas remediiorum vires colligere & succincte exponere; id quod iam speciminis inauguralis loco pro viribus exsequi constitui. Omnipotens autem ille rerum salubrium auctor & dator largiatur nobis suum spiritum, optimum in medicis etiam rebus doctorem, quo verum a falso & apparenter vero, certum ab incerto, rite discernere sciamus.

§. VIII.

Vt vero in penitorem virium cognitionem, quas in vincendis morbis eorumque causis, varii generis medicamina possident, perveniamus, opus maxime omnium est, quo extanta innumerabilium fere medicamentorum, quæ prostant passimque laudantur in scriptis medicorum, silva atque farragine, pauca saltim, sed selectiora & probatiora, & quæ vulgo specifica vocantur, maxime in usum vocentur. Ita enim longe facilius per experientiam & observationes institutas quos edant effectus, & quid præstare in hoc vel illo morbo possint, patescet ac innotescet. Nam qui in vera theoria medica & pathologia genuina, nec non in artis exercitio bene diuque versatus est, is probe certe intelligit, non multifarias, sed valde simplices, loco tantum differentes, morborum esse causas, & naturam etiam in curando non plura, sed pauca, efficacia tamen & accommodata postulare medicamenta, modo quis iis recte, id est tempore debito, ordine, proportione cumque debito regime uti sciat.

§. IX.

Quum itaque sic dicta specifica consensu fere omni-

omnium Medicorum , ob certum & singularem effectum præferenda sint aliis, horum utique maxime notitiam habere debet medens , iisdemque in curando uti. Per specifica autem, non ut vulgi Medicorum fert opinio , ea intelligimus remedia , quæ semper ac in omnibus subiectis certo & indubitate bonum in morbis edunt effectum , & quæ non fallere possunt Medicum. Etenim eiusmodi medicamina non dantur, & recte censet Galenus Lib. VIII. de compos. medicam. local. Cap. 4. impossibile esse invenire unum medicamentum ad multos affectus optimum. Falsa quoq; est persuasio & opinio, operationes atq; effectus formaliter inesse remedium & ab iis solummodo produci, cum potius ab actione ipsorum, & reactione sive synergia ipsius corporis vivi & morbo afflicti , demum resultent: siquidem medicamenta, vi canonis istius philosophici, non agunt tantum secundum activitatis suæ sphæram, verum etiam receptivitatem subiecti. Clarius id exinde intelligere licet, dum si unum idemque remedium, ut purgans , eodem tempore, eadem etiam dosi, uno morbo laborantibus, etiam ætate parum differentibus, datur, plane diversa tamen pro discrepante dispositione humorum, varia conditione sensibilitatis, item ætatis , temperamenti, operatio consequatur, adeoque dilucide pateat, quam inanis, fallax & dubia sit ista vulgaris & dolosa iactatio de specificis quibusdam panaceis, & arcanis contra hunc vel illum morbum.

§. X.

Per specifica potius medicamenta ea intelligenda, quæ præ multis aliis in hoc vel illo morbo videntur peculiare quid præstant. Huius generis sunt primum ea, quæ ex eiusmodi ingredientibus sive principiis

piis composita sunt, quorum singula ad causæ morbificæ destructionem qui quain conferunt, sive quæ pluribus simul curandi indicationibus satisfaciunt. Sit exemplo rhabarbari, quod præ aliis laxantibus in diarrhoeis accommodatum est, dum non modo clementer materiam acrem causticam biliosam evacuat, sed & amaritie quadam balsamica acidos causticos humores peccantes simul corrigit, & insuper post vacuationem, ob particulas subadstringentes terreas, tonum intestinorum nimis relaxatum roborat, quo affluxus seru acris uberior ex massa sanguinis & humorum impediatur. Sic etiam manna in affectibus pectoris & tussi stomachali, quæ a cruditatibus acidis fit, ad laxandam alvum longe utilior est aliis, quippe quæ non modo virtutem clementer laxantem possidet, sed & dulcedinem viscosam recessit copiosam, qua corrosivos acidos humores & acres demulcit, infringit atque inviscat.

§. XI.

Nonnulla porro specifica ob id vocantur, quod eorum virtus & efficacia in certo merbo ad certum endendum effectum per longam experientiam innotuit, ut corticis chinæ in fistendis intermittentium paroxysmis, opii in doloribus sedandis, mercurii in percuranda lue venerea. Vel etiam specifica illa nominantur, quæ partibus a morbo affectis magis amica sunt. Ita partes nervosæ & membranaceæ, cuius generis sunt ventriculus & intestina, viæ urinariæ cum ipsa vesica, imo membranæ cerebri, spinalis medullæ cum ipsis nervis, medicamenta subtili, aromatico fragranti oleo imbuta optime ferre possunt, minus vero ipsa opiate, narcotica, constringentia. Ventriculus acida bene suscipit iisdemque appetitus erigitur & intenditur, sed bronchia pulmonum minus, & potius ab his ad spasmos exci-

excitantur atque stimulantur. Cantharides & insecta sale volatili caustico praedita, minime offendunt ventriculum, sed renum tubuli urinarii, uretheres cum vesica & urethra, eorum hostilem spasticam & dolorificam vim subito sentiunt, ut iisdem vel sanguineus prioritari queat mictus. Et qui plures alii medicamentorum specifici effectus passim noti idem luculenter confirmant.

§. XII.

Horum itaque specificorum usus Medico frequens & in pretio esse debet, eaque propter ut notitiam eorundem in diversis corporis humani afflictionibus sibi comparet, summo eniti debet studio. Et in genere quidem ad tuendam valetudinem & longevitatem consequendam admirandæ prorsus virtutis praesidiū diæteticū est, Veteribus adeo celebratum, lac asinīnum. De huius indole, præ reliquis lactis speciebus præstantia & efficacia longe saluberrima D. D. PRÆSES, peculiari egit dissertatione in qua quibus morbis debellandis eius potus proficuus sit & rationibus & exemplis docuit. Quam singulari autem ad prolongandam etiam vitam polleat virtute, luculentum præ reliquis est Patini testimonium, tomo II. epistol. pag. 213. & dignum quod totum verbis latine redditis transcribatur; Elaphis, ait, decem diebus, lac asinīnum erit admodum salubre, quod, ut coniugi tuæ ex voto proficiat, opto. Galenus quidem ad Stabiam montem aegros suos ablegabat, unde sani redibant. Quod confirmatum habeo nummo Imperatoris Getæ, quem Carolus meus asservat, signato imagine vaccæ, qua huius montis accolæ lactis ibi reperiundi præstantiam indicare voluerunt. Siquidem tamen etiam nobis Luretiæ lac asinīnum optimæ notæ. Socrus meo, quæ oolog. simo quarto anno ap. plexia inerit, hoc per integros sexaginta annos usus est. Pariter

B 2

a vi-

TUR

a vigesimo secundo etatis anno hoc lac babit Domini Confessarii Laurentii mater, preterito anno octogesimo septimo anno denata. Huius soror, vidua Andree Laurentii, Anatomici, idem fecit, & ad octogesimum quintum annum pervixit. Et certe apud nos egregiam praefatam opem, vere maxime & autumno, imprimis ad arcendos morbos. Ego tamen eius usum nemini suadeo, nisi viscera clementi & accommoda purgatione depurata prius fuerint & preparata. Ut mittamus quæ Helmontius lib. de digest. alim. pag. 179. eandem in rem scribit, nec non quæ Heurnius comment. in secl. V. aph. 64. lac asinum scilicet senium & rugas tollere, proddiderunt.

§. XIII.

Ad morbos paullo specialius & appropriata ipsis remedia quod attinet, omnium frequentissimi sunt febres & primo quidem intermittentes. In his corticem chinæ, chaccarillæ & pulverem florum chamomillæ vulgaris, ad paroxysmos supprimendos & fistendos seu specifica antifebrilia commendari, perquam notum est. Neque etiam sine ratione: nam utut aluminoſis, martialibus, vitriolatis, item radici tormentillæ & eius extracto, cortici quoque fraxini, ob adſtrictivam facultatem febriles motus compescendi virtus quædam inſit; illa tamen, præter vim leniter adſt iſlivam roborantem, ob amaritiem, qua pollent, & resinofam ſubſtantiam, qua maxime cortex chaccarillæ gaudet, balsamicam, nec non propter oleum quod in floribus chamomillæ eſt, anodynam, in febrilibus ſpasmis, admodum proficuum, poſſident efficaciam, eo certiore coque magis præſtabilem, quando iunctim exhibentur. Etenim febriles illi paroxysmi & recursus, ſecundum D. D. PRÆSIDIS fententiam, quam maxime ab humoribus corruptis acidobiliosis ſalivalibus, non tantum in ipſa cavitate prima- rum

rum viarum, præsertim duodenii, verum etiam in tubulis istis excretoriis, qui ad primam sic dictam regionem spectant, biliosis scilicet, pancreaticis, glandulosis, stagnantibus & universum nervosarum partium systema affidentibus oboruntur, qui primo omnium congruis remedii corrigendi, resolvendi & per omnis generis emundatoria evacuandi sunt; correcta autem & electa sic materia febrili, reseratis quoque infarctis & obstrutis tubulis, ea medicamina subiungere convenit, quæ robur & tonum antea deieictum restituunt ac impediunt, quo minus succi vitiosi de novo ibi subsistere, stagnare & novam materiam paroxysmi suggerere queant. Quo scopo iam apprime ex usu est, decoctum corticis chinæ, cum summitatibus centaurii minoris, floribus chamomillæ vulgaris, adiecto pauxillo pulveris caryophyllorum, vel corticis chaccarillæ, si natura ægroti paulo phlegmatica, pituitosa & segnior est, ex vino Rhenano potenti. Velerat ex his cum roob sambuci parari potest electuarium, quod cum vino aqua remixto per vices, diebus præsertim vacuis, deglutiendum.

§. XIV.

In febre autem quartana, quæ ob vitium in hepatæ & infarctos ac oppilatos eius tubulos, valde contumax esse solet, idem etiam remedium præsentariæ est efficaciæ, sed opus est, ut prius paulo diutius referandis hepatis obstructionibus & acidis, ponticis humoribus corrigendis, iis, quæ acorem obtindunt, insistamus. Apprime huic scopo inservit diurnus usus lixivii rhabarbarini, quod paratur ex rhabarbaro, oleo tartari per deliquium & aqua florum acaciæ, cui etiam radix gentianæ, vel etiam spiritus salis ammoniaci, adiici potest. Quando glandulæ pancreaticæ paulo firmior obstruc-

B 3

rebel-

rebellem hanc febrem efficit, medicamenta mercurialis prosapiæ in usum trahenda sunt, ut mercurius dulcis, D. D. PRÆSIDIS diaphoreticus, vel antiquartium Riverii, quod ex auro, argento vivo & antimonio præparatur, quæ utique debita dosi & cum prudentia aliis mixta & usurpatæ, in referandis glandularum obstruktionibus & contumacibus morbis persanandis, magna instructa sunt virtute atque potentia, & operationem suam per diaphoresin, interdum per alvum, & sanguis per salivæ fluxum, exserunt.

§. XV.

In febribus continuis, quæ ordinario cum magno æstu coniunctæ, corpus eiusque vires consumunt & colliquant, ad contemporandum hunc calorem præternaturalem naturæ infensissimum, non excellentius & præsentius ipso nitro, tantum purificato, sive artificiali, sive regenerato, ex spiritu nitri & tale tartari parato, datur. Quod tam egregium, quam nullum aliud humectantem & refrigerantem vim habet, aliorum refrigerantium, præsertim acidorum, longe superiorem. Acida quippe figendo partes in sanguine sulphureas & motum excitantes, restinguunt quidem nimium æstum, sed sanguinem & humores simul coagulant; nitrum vero, præter vim refrigerantem, pollet etiam attenuante & humores viscidos incidente facultate, quod vel ex eo abunde constat, quod admixtum sanguini & venae missò nigro & conglutato, sive in pulvere, sive in forma liquida, nitro, is fluidus reddatur iterumque coccineo imbuatur colore. Danda autem in hisce febribus pro dosi aliquot tantum grana, cum pulvere absorbente, vel bezoardico.

§. XVI.

Febres acutæ & malignæ, sœpe periculosis & exti-

xitialibus partium internarum inflammationibus stipantur, & rarius certe quisquam acutis moritur, ubi non post mortem ventriculi, vel intestinorum & meningum inflammatio sphacelosa conspicitur. Ad hoc itaque grave & infestum malum arcendum, vel etiam si praesens est tollendum, nihil etiam D. D. PRÆSES efficacius invenit, quam nitrum cum pauxillo camphoræ mixtum; quæ uti in inflammatis partibus externis peculiarem discutiendi vim habet, ita eandem quoque retinet in internis. Atque etiam vanus & irritus est metus, ac si camphora interno usu valde commoveret sanguinem & æstum augeret, cum potius, etiam si in maiori etiam dosi eandem ingerat sanus homo, refrigerium, quam exæstuationem inde percipiat. Ne dicam ipsum nitrum admixtum, vim eius volatilem, penetrantem refrænare & minuere. Solum autem nitrum in febribus putridis, malignis atque exanthematicis & inflammatoriis rarius convenit, nisi ad summum æstum moderandum, quin si copiosus propinatur, nimium refrigerat his in morbis, ubi vires iam sunt suppressæ, ac dum excretiones retardat, plus officit, quam prodest.

§. XVII.

In malignis, hoc est, ad putridam corruptionem valde proris morbis, ipsaque peste, acida certe eminentem præ aliis ad arcendam putredinem, cuius matrix & fomentum est principium alcalino-sulphureum nitratis attenuatum, ad dissolvendam humorum naturalem mixturam tendens, possident virtutem. Hinc solum acetum vini aqua dilutum, succus citri & ex eo paratus sirupus, succus & sirupus berberum, cydoniorum, attemperata quoque tantisper & bezoardicis terreis nupta, in malignæ indolis morbis omne curationis sunt punctum. Ut iliter tamen etiam, præsertim in natüris

turis segnioribus, acida alexipharmacis sociantur, ita quidem, ut vel aceta radicibus alexipharmacis infundantur, vel escentiae & extracta alexipharmacae acidis iungantur, aut interponantur, id quod in primis ad corpus a contagiosorum febrium insultu defendendum ex usu est. Quam maxime vero his ea, quæ vires, mirum semper prostratas, roborant & refocillant, iungere ex usu est, quorum e numero cortice citri, ac potissimum oleo ipsius purissimo, vix ullum praestabilius, nec non cinnamomo eiusque aqua, non tamen spirituosa, sed cum succis fragrantibus, ut fragorum, rubi idæi & cerasorum destillata,

§. XVIII.

Accedunt dolores, qui, si ex spastica strictura oboruntur, ut cardialgia, colica & ex calculo, liquor D.D. PRÆ-SIDIS anodynus mineralis omnibus palmam præripit, utpote qui non solum blande anodynæ & discutientem, sed etiam, quod aliis sedantibus plane negatum, roborantem egregiam facultatem castodit. Vbi flatus restagnant, & incareratis iis, nerveæ ventriculi & intestinorū tuniceæ cum exquisitis tormentibus distenduntur, corticibus aurantiorum, floribus chamomillæ, millefolio, carvo & cymino, salubri discutiente effectu nihil superius, eo quod propter subtile vaporosum quod recondunt oleum, anodium & mitigantem, ac propter amarum, aromaticum, acre, fragrans elementum, roborantem & tonicum effectum exsequuntur, quo sit, ut postea flatum causa & minera, cruditates scilicet, commodissime possint eiici.

§. XIX.

Neque etiam in aliis dolorum generibus probatissimæ virtutis auxilia deficiunt. Sic cruciatus artuum scorbuticos, rheumatismos, arthritidem vagam e-
gre-

gregie levant lumbrici terrestres , vel succus ex ipsis expressus , vel pulvis illorum , præsertim cum abforbentibus , cinnabari & nitro remixtus , ac cum lacte asinino , vel fero lactis , largius & diutius usurpatus . Pulvare quoque antimonii crudi , si successiva minori ad maiorem dosin ascendendo , a granis circiter decem ad drachmæ dimidiæ pondus , quotidie assumatur , interposito leniori ex temperatis lignis decocto , diuturnas rheumaticas passiones & tractiones artuum molestissimos vidimus sanatas . Ad podagram porro expugnandam commendabilis quam maxime lactis asinini usus , præcis etiam , teste *Plinio* & *Dioscoride* , frequentissimus . Neque minus podagricos egregie solatur decoctum ex radice artemisiæ , fcorzoneræ , sarsaparillæ , chinæ , liquiritiæ , polypodii , hermodactylis , liberalius & aliquando haustum . In odontalgia rob sambuci interius ad unciam unam cum iuscule ad diaphoresin proritandam assuntum , & exterius in cerevisia solutum , qua cum os subinde colluitur , specificam certe & præsentaneam opem vexatis confert .

§. XX.

Pathemata hypochondriaca & hysterica multum affinitatis alunt , & atrociam suam exserunt maxime inflando & spasmodice contrahendo intestina ac demum universum nervorum systema in consensu pertrahendo : habent tamen spectata & experta quibus complacantur præsidia . Hæc inter præter thermas & acidulas , cum balneis & motu corporis , tanquam potissima , connumeranda etiam gummata & medicamenta foetidi odoris , ut asa foetida , sagapenum , opopanax & castoreum , quæ vel sola in pilularum formam composta , vel melius cum purgantibus , ut aloë correcta , extracto rhabarbari , hellebori nigri , myrrha etiam & cro-

co

co remixa, & crebrius, moderate tamen, usurpata, misericorde obvios spasmos complacent, tonum nervearum partium firmant, & simul viscidos, tenaces humores colliquant & blande evehunt.

§. XXI.

In affectibus capitis & maxime nervorum, qui ex imbecillitate cerebri & totius systematis nervosi viriumque langore ortum trahunt, in hemiplegia scilicet, paralyse, sensuum imminutione, torpore & stupore actionum animalium, auditus difficultate, aurium tinnitus, syncope, vertigine, ventriculi & intestinorum debilitate, nec non diarrhoea & vomitu, nullum certe praestantius & praesentius D. D. PRÆSIDI innotuit remedium, quam quod ex oleis cephalicis & aromaticis genuinis concinnatur balsum liquidum, vitae dictum, usu tam interno, quam exterioro, longe spectatissimæ facultatis.

§. XXII.

Præterea insaniz, tam furibundæ, quam melanocholicæ, præter sanguinis missiones, acidularum & thermarum usum, nec non emetica, nonnulla speciali quadam efficacia dicata celebrantur. Prisci ipseque Hippocrates hunc in finem utebantur quam maxime helleboron albo, cuius virulentiam Alpino lib. de med. method. teste, ita cicurabant, ut eundem cum oleo vel etiam oxymelite decoquerent & antequam propinarent lac largius potui præberent: sed exolevit iam penitus hic helleborismus, hanc forsan ob causam, quod recentiores helleborum colligendi & exhibendi genuinum modum ignorarint, de quo videatur Schulzii dissertatio de elleborismis veterum. Neque tamen negandum, quod in helleboron lateat adversus deliria ipsumque insaniam virtus, imprimis si eius usus venæ sectione & balneis ex aqua dulci, in omnimentia proficuis, secundetur. In ea vero mentis emotione

tione, quæ potius ab animi affectuum vehementia, quam hypochondriorum obstructione oborta, lac asinimum, nitrum & sanguis asinus, in pulverem tritus, eximiam demulcentem, effrenes nervearum fibrarum stricturas sedantem possident facultatem, & inter initia saluberrimam præstant opem, eo certiorem, si clima mutetur & occasionses ad animum exæstuandum sollicite evitentur.

§. XXIII.

Epilepticum malum quo truculentius & vel asperitu horribilius, eo magis medentes solliciti fuerunt de præsidii ad abigendum illud. Et certe quamplurima paßim quidem circumferuntur specifica antiepileptica; sed an meliora accertiora suppetant pulvere lumbicoru terrestrium, cinnabari, pulvere secundinæ humanæ, rasura cranii humani, ungula alcis & corio humano, nos quidem vix crediderimus. Hæc autem sicuti in epilepsia idiopathica & chronica conduceant; ita in symptomatice, palmam utique fert liquor D.D. PRÆSIDIS anodynus mineralis, epilepticos egregie componens insultus.

§. XXIV.

Vbi vesicularis & vasculosa pulmonum compages crassa, tenaci pituita firmiter inhærescente farcta & obstipata in asthmate, gummi ammoniacum, balsamus Peruvianus, crocus, opopanax, vel in pilularem consistentiā, vel cum tinctura tartari in essentiam redacta, usum atque utilitatem præstant incomparabilem. Quando autem pulmones phthisica labi affecti, si qua salutis spes, eadem quam maxime a lacte asinino, vel solo, vel fonti Selterano, qui idem tidein pulmonum vitiis apprime proficius, confuso, expectanda. Neque minus hoc nomine commendationem meretur sulphur stillatitium purum, in primis si cum pinguedine animantium, ut axungia

humana, vel pinguedine canis recenti, item spermate certi dissolvatur, & ad stomachum roborandum aliquot balsami de Copiva, olei ligni saffras & foeniculi guttulae, adiificantur. Ea quippe sulphuris facultas, ut non modo partibus languentibus robur addat, sed & simul dissolvat & discutiat spissescientes succos, qua certe in pulmonum affectibus, exulcerationibus, tuberculis, vomicis, ex stasi & condensatione viscosi & caseosi mucilaginosi, ex chylo præcipitati succi, obortis, egregie opitulatur.

§. XXV.

Præter phthisin hydropes difficillimis & fere infanabilibus morbis annumerantur, si tamen sanationem adhuc admittunt, elaterium certe apud Veteres magnæ famæ medicamen, quod per superiora & inferiora, si recte adhibetur, aquas educit, & corpore prius rite præparato humoribusque fluidis redditis, præmissis quoque & sub eius usu exhibitis emollientibus ac oleosis, vix efficacia par obtinet. Quia vero etiam per urinarios tubulos seruos humor commode educi & per adauustum urinæ fluxum hydropticus tumor absumi potest, pulvis cantharidum cum sale tartari mixtus, additis aliquot ad arcendam inflammationem nitri depurati granis & uno camphoræ, diuresi movendæ largissimæ apprime inservit, modo humores ad hanc dispositi sint excretionem. Icterus quoque malum sèpe valde contumax est, sed præter emetica, quæ efficaciter in ductus biliarios agunt, congrua dosi & opportune adhibita, rhubarbarum, radix curcumæ & rubiæ tintorum, præsertim si in aqua & vino, adiecto nitro & sale tartari, decoquantur, in hoc morbo singularem prorsus edunt effectum, quem etiam infusum corticis mediæ lambuci, nisi corpus nimis debilitatum, visci-

vifcidam bilem colliquando & calculos ex canalium biliariorum alveis eliciendo, exsequitur.

§. XXVI.

In calculosa renum dispositione spectatissima infusi summitatum millefolii est facultas, quando quis eo crebrius & diutius utatur. Nec eximia deneganda virtus fragis exsiccatis, fructibus alkekengi, cynosbati, semini dauci, ac potissimum cortici radicis acaciae, si vel cum infuso ex aqua, vel cum spiritu iuniperi temperatori sumantur. Inest enim ipsis virtus quædam travmatica, leniter balsamica & subadstringens, qua remissum tubolorum renalium tonum egregie firmant, substantiam renum exulceratam & ex parte dissolutam conglutinant atque percurant. Amygdalis autem maris, ob anodynum oleum, nec non oleo amygdalarum dulcium, sub ipso cruciatum paroxysmo demulcens & mitigans longe eximia inest virtus.

§. XXVII.

Affectus sequiori sexui solennes, ex uteri & maxime mensium, vel lochiorum vitio, præter aloëni correctam, myrrha, croco, succino, castoreo & aristochia rodunda, debita ratione in pilularum formam redactis, optime excipiuntur, eamque ob causam in iisdem nostro iam tempore maximam hoc nomine adeptæ sunt famam pilulæ Becherianæ & omnes ad earum exemplar paratae. In virili autem sexu ad corrienda hæmorrhoidum vitia, post mannum, infusum vel decoctum summitatum millefolii saluberrimi efflusus; eo quod hac planta subtile, spasmos leniens atque demulcens oleum recondit, quod multum ratione faporis, odoris & maxime coloris cœrulei convenientia alit cum oleo chamomillæ.

C 3

§. XXVIII.

§. XXIX.

Intestinorum canalem graviter exagitat ipsumque corpus innumeris pâne sedibus ferme exhaustit dysentericus morbus, contagio infestus & ingentem sëpe stragem edens, qui pariter non quibusvis in alvi fluxibus proficius, sed singularibus plane abigitur penitusque extirpatur auxiliis. Nimirum radix illa Americana ipecacuanha, experientia teste maximum antidysentericum, si modo initiante adhuc morbo, iusta dosi, semel, vel bis, aut ter exhibeat. Postea vero præter alia acrimoniam obtundentia, blanda diaphoretica & temperantia interne & externe adhibita, itemque rhabarbarum, ceu optimum laxans, cortici chaccariæ certissima flaccidas intestinorum fibras roborandi & motus effrenes sedandi inest efficacia.

§. XXIX.

In intestinis quoque vermes varias ludunt tragedias & horrenda sëpe excitant symptomata, quibus extirpandis nonnulla peculiari quadam dictata sunt virtute, Græcis ob id anthelmintica vocata. Sed licet horum eximus circumferatur apparatus, non omnia tamen æque exspectationi respondent, & nulla magis probatæ efficacie sunt ipsa aſa fœtida & sagapeno, præsertim si hæc cum purgantibus, ut mercurio dulci & extracto rhabarbari, in pilularum forma dentur, hac cum cautione, quo ante & post huius virtutis pilularum usum, aliquot cochlearia olei olivarum, vel amygdalarum dulcium ingerantur, quod certe vermbus, ut omnia oleosa, quam maxime infensem, & fibras intestinales, a vermium arrosione spastica strictura affectas, egregie mulcit ac efficit, ut vermino-

.LVXX.

minosa progenies per ani secessum exturbetur. Afa quippe foetida & sagapenum nidore suo quem dispergunt adverso, vermes fugant, haud secus ac de allio domesticis & agrestibus experimentis constat. Semen autem cinæ, item saitonici & herba tanaceti, utiliter etiam contra vermes quidem usurpantur, sed non aliter agunt, quam quod putredinosæ colluviei, quæ vires frangit lentumque infert calorem & languorem, resistant & simul tonum intestinorum firmando, expulsionem facilitent ac iuuent.

§. XXX.

Quando nimium sanguinis, ubicumque sit, ex apertis vasorum osculis effunditur, prompta ope & præsentaneis remediis opus est, ne graves insequantur passiones. Ac tum quidem ad compescendum cruoris itillicidium, nitro in aqua communi soluto & successive oblato, nec non ad arcendam novam hæmorrhagiam, pulvere dentis hippopotami, repetitis maxime vicibus, vix quicquam præstabilius. Prodest tamen etiam massa pilularum de cynoglossa, ad grana sex vel octo, quæ ob cynoglossum, opium & semen hyoscyami narcotica virtute pollet, ac sensum solidorum exquisitorem obtundendo, efficit, quo minus per spasmos sanguis impetuose ad certum quendam locum urgeatur ibique exprimatur. In seminis fluxu, prælertim virulentio, vix melius & præsentius suppetit præsidium terebinthina Veneta eiusque oleo æthereo, vel loco huius bals. m. de Copaiwa aut Mecca, quæ, si cum, vel fine camphora, in emulsione ex seminibus quatuor frigidis, lacte, vel sero lactis, post congruorum purgantium, præfertim mercurialium usum, propinanturn, in comparabilem præstant efficaciam.

§. XXXI.

§. XXXI.

Excipiunt morbi ex humorum impuritate oriundi, quæ maxima in scorbuto. Est hoc malum maxime endemicum, a pravo vietu, sub cœlo frigido & humido prognatum, & a vita sedentaria atque mœnre maxime exacerbatur; longa tamen experientia comprobata adversus illud remedia sunt sic dicta antiscorbutica, trifolium fibrinum, cochlearia, beccabunga, nasturtium, radix armoraciæ, quorum effectus eo magis exoptatus certusque, quam succus ex ipsis expressus, cum sero lactis ex D.D. PRÆSIDIS præparatione dulci, vel etiam laetè caprillo, disposito prius corpore, assumitur. Quod si scorbutus iam inveteraverit & doloribus stipetur, strobilos pini in sero lactis decoctos, addita medulla & pinguedine ex ossibus boum & vitulorum, continuato aliquandiu usu, eximie suppetias tulisse novimus.

§. XXXII.

Truculentus ille luis venereæ nomine qui insinuitur morbus, vix funditus ex interioribus quibus infidet partium latibulis eradicari poterit, nisi admissis specificis, inter quæ argentum vivum, lignum guaiacum cum cortice ipsumque antimonium rite præparatum primas tenent. Nullum enim in toto rerum naturalium censu suppetit pharmacum, quod tam potenter universam lymphæ & humorum massam in motum cieat & largissimum salivæ ad aliquot interdum hebdomades durantem fluxum prorit, quam ipse mercurius, qui corpus subiens, ob specificam in minimis etiam moleculis omnibus succis superiorē gravitatem, ad intima corporis pervadit & per angustias tubularum strenue eluctans, obstrunctiones in iis solvit, simul quoque humorum corporis crasis penitus immutat,

tat, eisdemque intestino quodam motu putredinosam quasi inducit colliquationem, & hac ratione, licet non sine summa molestia & quandoque etiam periculo, gravissimum hunc morbum aliasque chronicas contumaces, ex seri spurcicie ortas passiones, expugnat. Tuttissimum autem ex mercurialibus salivandi scopo usitatis est ipse mercurius dulcis, si absorbentibus nuptus, per aliquot dies exhibeat, ascendendo a minori, ut quinque granorum dosi, ad maiorem duodecim scilicet granorum, donec saliva liberaliter fluere incipiat, observato simul convenienti diætæ regimine. Guaiacum sale subtili acri resinoso, quo aquam cui incoquitur imbuit, fibras vasorum & tunicas vellicando, totam humorum & lymphæ massam ad auctiorem progressum adigit, quo tenaces succi resolvuntur & obstruktiones referantur.

§. XXXIII.

Ad lepram, herpetem & scabiem mali moris, nec non alias cutis defœdationes & ulcerationes, optimum auxilium ex viperis earumque decocto, nec non antimonio, ac præcipue eius sulphure diaphoretico peculiari enchireshi confecto, sperandum. Plica quoque sic dicta Polonica, restitans aut præpostere abscissa, gravia invehit pathemata, ad quæ abigenda laudata virtus decocti herbæ & seminis lycopodii, quo caput tæpius tepide abluendum; quandoquidem hac ratione serum illud viscidum excrementium, cerebrum & caput molestè afficiens, per cutis qua caput tegitur tubulos, ipsosque crines salutariter elicetur. Oculos si infestat falsa & calida defluxio, cui rubedo iuncta in sic dicta epiphora, & noctu præsertim palpebræ a viscoso humore conglutinantur, pauxillum & vel unum granum

D

vitra-

vitrioli albi , cum butyro recenti subactum & orbitæ oculi majori inditum , admirabilem , promte vitium abigendo , fert opem . Pelliculam oculo inductam & visum intercipientem , recens viperarum pinguedo oculo instillata , feliciter abstergit ; & guttam serenam incipientem sulphur antimonii aliquoties aslumtum cum regimine egregie discutit .

§. XXXIV.

Quando artus contractura & rigiditate afficiuntur , nihil præstantius est , quam afflictum membrum crebrius in animalia recenter dissecta & adhuc calentia immittere , quo blando , oleoso & naturali calido vapore fibræ tensæ foveantur ac mollientur . Vbi post lapsum , gravem contusionem , aut partium externarum percussionem , stagnantes humores & densatus sanguis varia creant incommoda , decoctum vel infusum arnicæ omne fere curationis punctum absolvit , ob virtutem qua pollet incidentem , resolyentem & discutientem plane singularem .

§. XXXV.

Atque hæc sunt seleclissima & usu comprobata ex omni remediorum censu . Monendum tamen , quod quum hæc ipsa , ut supra iam inculcavimus , neutiquam viribus polleant absolutis , sed relativis & certis circumstantiis atque conditionibus limitatis , in illorum usu , harum in primis exquisita habenda sit ratio , quo speratus respondeat effectus . Deinceps singularis efficacijæ hæc quidem recte usurpata sunt remedia , sed nihil certe iuvant , nisi corpus prius probe fuerit præparatum , & obstacula , quæ virtutem infringere aut impedire possunt , remota . Hinc quando sanguis in venis redundant & primæ viæ sentina sordium oblesse , neces-

necesse est, ut sanguis prius subtrahatur & prima corporis regio a crudorum, biliosorum & recrementitorum succorum faburra repurgetur ac depleatur.

S. XXXVI.

Neque etiam existimandum, specificis usurpatis, nullis plane aliis internis, vel externis subsidiis, ad corrigendos vel evacuandos vitiosos humores destinatis, opus esse. Etenim haec specificæ virtutis medicamina efficacia sua non tam materiam quæ in vitio est, quam potius ipsum motum afficiunt, eumque ad naturalem ordinatum successum reducendo, iuvant, quod tum demum quam optime perficitur, quando causæ morbificæ materiales sublatæ, & præmissis quæ temperando, resolvendo, discutiendo & obstrunctiones expediendo vicia corrigunt, appropriata debita proportione, opportuno tempore & modo convenienti in usum vocantur. Inprimis eo cura dirigenda, quo primæ viæ vacuæ sint succis viscidis impuris, quibus oblati medicamenti vis quam maxime obtunditur, vel plane suffocatur, quum iisdem expurgatis, integra & salva sua textura ex voto agat & in ventriculi ac intestinorum substantiam nervosam virtutem suam edat, codem modo ac de emeticis, purgantibus, opiatibus, anallepticis omnibusque quæ exili mole magnum edunt effectum, constat.

S. XXXVII.

Tandem in specificorum usu accommoda servanda methodus, ita quidem, ut artifex non solum dosin, tempus ac regimen congruum præscribere sciatur, sed etiam quandiu iis insistendum & quæ vietus ac vivendi ratio simul observanda exacte calleat. Nam profecto methodus medendi specialissima, quæ unice


D 2

in

in medentis prudentia, iudicio, curata attentione & observatione naturæ ægrotantis consistit, tanti ad ipsum effectum est momenti, ut ipsis specificis solis longe sit anteponenda, & sine ea, remedia quantumvis egregia alienæ & infructuosa sint operationis, quin nec quicquam solidi in arte præstari queat. Hanc autem qui novit & has cautiones qui solicite observat omnes, is certe efficacia & probata eiusmodi in usum vocans remedia, desiderato fine potietur, quantum scilicet malo plus valet ars nostra salutaris.


FINIS.






01 A 6641







19 XIX

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**SPECIFICA QVO
RVNDAM REMEDIORVM
EFFICACIA**
QVAM
FAVENTE NVMINE DIVINO
PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO
PRO
DOCTORIS GRADV
RITE CONSEQUENDO
Ad d. Aprilis A. R. S. M DCC XXVII.
PVBLICÆ DISQVISIONI EXPONET
GEORGIVS FRIDERICVS BAVER.
BREGA SILESIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.